



Kem 3489 (1-15)

546

14
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
SISTENS
MELETEMATA CRITICA IN THEORIAM
ILLUSTRIS REILII
DE
MORBIS VENEREIS.

QUAM
CONSENSU FACULTATIS ILLUSTRIS
PRO
GRADU DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE
LEGITIME OBTINENDO
DIE XXX. MART. MDCCLXXXIII.
PUBLICAE DEFENDET
AUCTOR
IOANNES AUGUSTUS CHEMNITZ
SERVESTA - ANHALTINUS.

H A L A E,
LITERIS HELLERIANIS.



UNIVERSITÄT
LEIPZIG
BIBLIOTHEK
VERZEICHNIS
DER
BÜCHER
DIE
DURCH
DIE
GÜTE
VON
HERRN
DR. H. B. ...
VERLEHEN
WURDEN
VON
HERRN
DR. H. B. ...
AM
1. DEZEMBER
18...



PATRI OPTIMO,
VIRO EXCELLENTISSIMO, DOCTISSIMO,
AUG. FRID. CHRIST,
CHEMNITZ,
MED. DOCT. ET PHYSICO ORDINARIO
PRINCIPATUS SERVEST.

HAS STUDII ACADEMICI PRIMITIAS

GRATUS OFFERT

A U C T O R



PATRI OPTIMO
VIRI EXCELLENTISSIMO DOCTISSIMO
AUG. FRID. CHRIST.
CHEMNI
MED. DOCT. P. PHYSIC. ORDINARIO
PRINCIPALIS SESSANT.

HAB. ETUDII ANATOMIAE PRIMITIVAE
CENSUS BREVIS

1751



I.

INSTITUTI RATIO.

Praeclarissimum academiae, quae me aluit, decus,
Ill. REILUS, primariae vir eruditionis, cuius gloria
in omnium discipulorum ore atque admiratione vivit,
volumen nuper secundum memorabilem clinicorum
edidit, quod praeter observationes bene multas iudi-
cio haud vulgari et institutas et narratas, continet
tractatum de crisi morborum nervosorum. Pro-
fert quidem eruditissimus auctor non paucas novas
opiniones de activitate naturae in statu chronico: cal-
ci autem adiungit theoriam, non plane novam sed
melius et limatius prolatam de morbis venereis. Cum
id iam aliis scriptis meritum sibi acquisiverit illustris
praeceptor, quod ex reiectione praeiudiciorum et sy-
stematis mechanici, nonnisi praeiudiciis exstructi, et

1107 A ex

ex stabilita amplius, firmitioribusque argumentis suffulta et decorata theoria organica redundat; in hoc quoque tractatu perrexit in dimicatione contra mechanismum et in illustrandis actionibus corporis nostri organicis.

Confiteor omnino, lectionem assiduam huius tractatus eam mihi peperisse luculentam cognitionem methodi, qua contagium venereum et propagatur et varios morbos topicos progignit, quae ad recte curandos eiusmodi morbos requiritur. — Erubui itaque non parum, cum clarissimus auctor, de speciminis inauguralis ratione nuper a me interrogatus, mihi ventilationem theoriae a se propositae commendaret, simulque optaret, ut libere, nulloque plane respectu ad singularem, quam ipsi debere forsan crederem, venerationem habito, quid sentiam, profiterer. Erubui inquam, et negavi, me huic instituto parem fore. Credidi enim, lectores miraturos esse, quid sit, quod, cum tot iudices librorum de hac theoria siluerint (quia forsan, ut solent, per transennas tantum aspexerint magni momenti librum) ego potissimum surrexerim, qui neque aetate, neque ingenio, neque auctoritate sim cum iudicibus publicis comparandus. Deinde vero persuasus de gravitate argumentorum, quibus illustris auctor, quem adversarium meum cogitare nunquam potero, theoriam suam communivit, deterritus plane sum a proposito et receptui cecini. Nisi quidem clarissimus auctor me iterum instigasset, destitisset plane a proposito.

Votis

Votis itaque illustris REILLII satisfacere conaturus, tantum abest ut refutare omnino theoriam ipsius mihi sumam, ut potius levidensia tantum quaedam dubia circa nonnulla momenta theoriae REILLIANAE proferre studeam, quae ea, qua pollet, humanitate et benivolentia accipiet, et quae forsan ad luculentiorē sententiae ipsius explicationem facient.

2.

I. CONTAGIUM.

Quamvis alienus plane sim ab opinione eorum, qui doctrinam de contagio aequè gravis esse momenti in pathologia autumant, quam doctrinam de circulo sanguinis in physiologia*); non negare tamen audeo, ex enubilatione modi, quo contagium oritur et propagatur, emolumenti haud parum in totum systema pathologiae redundare, cum propositiones, quibus nititur haec doctrina, ex intimis omnino pathologiae penetralibus defumantur et vera curandi ratio inde optime eluceat.

Recte, ut mihi quidem videtur, auctor illustris miasmatis venerei actionem in sola organa concentrari, neque ulla assimilatione neque evolutione aut fermentatione, in humoribus oborta posse propagari, docet. Recte evolutionem supponere praeexistentiam omnium miasmatum in corpore sano; recte fermentationem nullam in corpore vivo assumi posse

A 2

affir-

*) C. L. HOFMANN'S Beantwort. der Einwürfe, welche Unzer geliefert. p. 27. f.

affirmat. Recte denique assimilationis vocem vi peculiari destitui et ad qualitates occultas referri posse contendit: qualitatibus autem occultis licet carere plane nequeamus, multiplicare tamen easdem a ratione absolum esse videtur*). — Quoniam vero hae sententiae ulteriorem requirere disquisitionem videntur hanc adiciere non dubito.

3.

Contagio, tanquam actus considerata, est transitus status morborum ex corpore aegroti in corpus sanum. Haec quidem definitio efficit simul discrimen inter epidemicum morbum et contagiosum. Epidemice enim morbus propagatur, dum causa propagationis in conditionibus universalibus quaeritur: aeris enim victus et animi pathematum ope longe lateque divagatur. Contagiosus autem morbus desiderat semper materiem quamdam ex corpore morbofo exeretam et in corpus sanum progredientem. Haec sententia quaestionem producit, an praeter contagium variolosum, morbillosum scabiosum, hygrophobicum et venereum ullum aliud sit admittendum? Certum enim esse videtur, ad multo minorem solito numerum redigi posse contagiosos morbos, pluresque eorum epidemicae potius grassari, quam per contagium propagari**).

4.

Alia quaestio magis spinosa et implicata, quae ex hac sententia fluit, versatur in modo, quo contagium,

*) Memorab. clin. vol. II. fasc. I p. 184. f.

**) STOLL, rat. med. vol. II. p. 31. (ed. Vienn. 8. 1788)

gium, seu materies contagiosa, in corpus sanum transit, et in eodem propagatur, ut humores illius naturam materiei contagiosae assument. Duplex quidem cogitari potest materies ea, quae contagiosos morbos producit: est enim vel *virus*, extra corpus humanum generatum, inque illud insinuatum, vel *miasma*, ex humoribus corporis humani, ope morbi praegressi evolutum, per organa sueta depuratoria excretum, et virus specie in corpus sanum transiens. De miasmate autem tantum sermo est, dum de vere contagiosis morbis loquimur.

Requirunt autem hoc miasma sequentes conditiones, si actionem suam producere conatur:

- a. Fuerit materies peculiaris morbi similis eius subiecti, quod contagium propagat, oportet. Raro quidem haec regula exceptionem patitur, dum essent exempla evoluti miasmatis *νεροπαθικως* ex humoribus corporis humani. Prima insuper origo morbi variolosi et venerei cogitari nequit, nisi ad talem evolutionem originariam respiciamus. Progressio enim in infinitum absurditatem involvit.
- b. Receptivitas corporum inficiendorum necessaria est: quae consistit vel naturali virium actione, dum contagium violentum et malignum apparet, vel praeternaturali debilitate organorum, dum materies contagiosa sueta caret ea acrimonia et malitia. Pestibus et lue venereae quisvis fere sanus succumbit; aliis vero contagiis tantum infirma valetudine fruentes.

c. Ma.

- c. Materies contagiosa attingere debet corpus inficiendum ea ratione, ut partes sensibiles et irritabiles afficiantur. Quodsi enim in cutis partem aut in alium corporis locum, irritabilitate et sensibilitate parum conspicuum agit, nullus inde morbus sequetur. Lymphatica insuper vasa, aperte ad cutim terminata multum conferre ad propagandum contagium videntur: ea enim loca, quae destituuntur manifestis vasis lymphaticis, proclivitatem nullam habent ad suscipiendum virus contagiosum.
- d. Sequatur necesse est post infectionem morbus similis iisdemque fere symptomatibus stipatus, quae in primario morbo alterius subjecti observabantur. Minime vero semper omnibus momenti idem esse morbus debet, cum malignitas et benignitas, et varii alii eventus non a contagione, sed a receptivitate et a conditionibus corporis infecti pendeant.

5.

Distinguendus itaque est triplex status in quo vis morbo contagioso:

- a. Actio virus in solida corporis, seu *infectio*.
- b. Reactio solidorum, seu *formalis pars morbi*.
- c. Materialis alteratio humorum, seu *miasmatis evolutio*.

Primam itaque miasmatis actionem in solidis tantum concentrari certum est. Receptivitas enim ad contagium versatur in viribus solidorum, praesertim

tim in sensilitate, qua humores destituuntur, et in irritabilitate, quam humoribus tribuere non aude-
rem. Nisi enim haec adsit receptivitas, seu potentia
fufcipiundi impressionem veneni, effectu omni priva-
tur applicatio contagii. Obiicies mihi forsan cum
UNZERO, posse omnino miasmata massam humorum ita
depravare, ut admixtione aut divisione veneni in par-
ticulas minimas assimilentur primario veneno. Ad-
duces forsan exemplum potentiae moschi, in particu-
las infinite minimas dispersi, retinendi vim odorife-
ram. Semper tibi regeram, nunquam valere appli-
cationem phaenomenorum extra corpus animale obve-
nientium ad corpus animatum. Quid quod experien-
tia ipsa doceat, haudquaquam prius apparere ullum
in morbo contagioso phaenomenon assimilationem hu-
morum indigitans, quam dolores, pruritus, aliaque
praegressa fuerint symptomata. Num variolae prius
contagium propagare possunt, quam suppuratio et
morbus formalis topicus cutis praecesserint? Num
blenorrhoea post coitum impurum unquam erumpit,
absque praegressis pruritu in urethra, doloribus et
tensione urethrae? Num ante eruptionem signorum,
quae putredinem humorum incipientem aut saltem
proclivitatem humorum ad eandem contrahendam
monstrant, nunquam symptoma adest, quod passionem
solidorum, maxime debilitatem insignem et virium
prostrationem adeste indigitat? — Inde itaque con-
cludere mihi sumo, non posse infectionem fieri absque
solidorum passione.

Huc accedit, quod ne ullum quidem exstet exem-
 plum mutatae ceteris casibus humorum craseos, quin
 saltim assumere debuerimus antegressam solidorum mu-
 tationem praeternaturalem. Quomodo enim crasis
 humorum efficitur, qui fiunt humores? Nonne se-
 cretione? Potestne ullus in corpore vivo humor pa-
 rari chemica aut mere physica mixtione vel transmu-
 tatione, absque solidorum vivorum concursu? Addu-
 cit argumenti loco contrariam sententiam tuentis, UN-
 ZERUS amarum saporem lactis, dum pecus comederit
 plantas amaras: hunc saporem absque morbo forma-
 li oriri autumat. Imo potuisset plura alia luculen-
 tiora in scenam ducere observata, ubi secreti humo-
 res naturam adipiscuntur potuum aut ciborum, abs-
 que morbo formali praegresso: e. g. urina rubra
 post comestos fructus *cacti opuntiae* aut *rubi idaei*. Sal-
 va tamen nostra res est. Equis enim morbum stricto
 sensu semper requirit ad mutationes fluidorum? Qui-
 vis omnino affectus, quaevis alteratio solidorum resor-
 bentium aut secermentium fluida quoque mutare valet.
 Quid enim, si UNZERUS ad resorbitionem semper pro-
 vocat; num potest resorbitionem explicare sola capil-
 larium vasorum actione, sive debet, ut puto, irritabi-
 litatem et vim vasorum resorbentium vitalem semper
 adhibere, ut progressum miasmatum aut heterogenea-
 rum aliarum materierum in massam humorum enubi-
 bilet? Vasorum enim absorbentium actionem mere
 hydraulicam, ut ita loquar, existere ecquis est, qui
 cum MASCAGNIO contra SCHREGERI nuperas et

ASSA-

ASSALINI observationes de irritabilitate eorum affirmare audeat?

Quam late patet contagii vis, dum merus et animi pathemata vires solidorum debilitarunt! Debilis hac ratione secretio, imbecillis fit excretio humorum, augetur itaque resorbtio fluidorum et miasmatum in aere circum volitantium. Negari quidem nequit observatio, historia epidemiarum fere omnium confirmata, iis quidem subiectis maxime infestam esse pestem, quae magis ipsam metuunt: ideoque etiam preces, summo numini oblatas, praeservare ac cavere mirifice a contagio pestilentiali, dum robur menti simul et corpori addunt, aucta fiducia in opem coelitus petendam.

7.

Post actionem miasmatum in solidas partes sequitur reactio solidorum ad expellenda miasmata. Ita oritur *pars secunda* morbi contagiosi, seu *formalis*. Actio ne minima quidem in universa natura cogitari potest absque reactione: haec vero est eo fortior et vehementior; quo validior fuit impressio aut stimulus materiae peregrinae, quoque maior est receptivitas solidorum ad recipiendam impressionem. Cum prima impressio miasmatum semper fiat in organa voluntati haudquaquam subiecta, aut saltem in eas partes organorum arbitrariorum, quae voluntati non parent; valet hic lex illa aeterna, ab HEBENSTREITIO ad calcem GARDINERI egregie exposita, stimulum semper sequi contractionem, et musculorum invo-

involuntariorum contractionem scopum ubique habere remotionem materierum peregrinarum. Morbus itaque formalis, qui sequitur infectionem, simplici hac lege luce meridiana clarius enubilatur, quod nempe actio semper attrahat reactionem, quod reactio aut contractio musculorum ubique sub his conditionibus sit iuncta congestione adaucta ad partem affectam, secretionem et effluxu materiae secretae promotis. Dum augetur affluxus sanguinis per arterias, impeditur refluxus per venas, imo saepenumero plane pervertitur eo quidem modo, ut motus in iisdem oboriatur progressivus, sine quo ne cogitari quidem possunt varia phaenomena status morborum, quae in parte eiusdem formali apparent. Quomodo enim quis haemorrhoides coecae, quomodo blennorrhoeae ortum sibi explicare potest, sine regurgitatione sanguinis venosi et qualicumque demum motus eius perversione? Legi de his phaenomenis mereretur immortalis PLATNERUS in additamentis ad FABRII disquisitiones.

8.

Quodsi actionem semper immediate sequeretur reactio. morbus formalis quoque subito post impressionem miasmatis contagiosi erumperet. At videmus, saepe diu latitare posse virus contagiosum, neque ilico, nisi post aliquot dies aut septimanas, producere morbum. Haud quidem me fugit, mechanicos medicos solere in solis humoribus hanc delitescentiam quaerere, quo facto, tempus aliquod requiri aiunt, ut fermentatio per totam humorum massam

sam erumpat. Verum enim vero, si fermentatio nulla in corpore animato contingere potest, haec sententia penitus corrui: imo observatio ipsa eo infervit, ut latebras miasmatis in humoribus assumi non posse discamus. Quid enim est, quod in massa fluidorum, quae in aeterno et haud interrupto circulo moventur, latitare possit vel per dies vel per septimanas materies heterogenea, quae alterari, assimilari nequeat, neque ullam possit producere partem morbi formalem? Num stasis humorum vera, num remotio particulae minimae fluidorum a circulo universali assumi potest? Stasis vera humorum, qua resorbatio quaevis reprimatur, necessario attrahit corruptionem et depravationem humorum: ideoque contingere in vivo corpore fere non potest. Stases, quas solemus ita nuncupare, nihil sunt, nisi longiores remorae humorum in partibus singularibus, quibus vero resorbatio quaevis in circulum universalem nequaquam excluditur, quae itaque cum miasmatis cuiusdam adeo diuturna praesentia contingere non possunt.

III. REILIIUS vero cum SCHAEFFERO aliud profert argumentum satis speciosum, quo temporis intervallum, quod infectionem a morbo formali separat, simul cum topica priorum symptomatum indole explanare conatur. Arbitratur enim impressionem virus venerei in nervorum quosdam fasciculos concentrari atque remanere in iisdem fasciculis (semotis hoc scopo, ut mihi videtur, ab universo systemate nervoso), Fateri quidem oportet, multo speciosorem

rem esse modum explicandi, quam qui nititur mechanicis commentis. Sed ignoscat mihi clarissimus praeceptor, si secum sentire de hac re impediar. Fasciculos nervorum semotos quidem adeo a systemate universali nervorum imaginari mihi nequeo, ut sensationem in ipsis excitatam communicare cum sensorio communi non possint, Num quis mihi potest unicum anatomico cultello extricare fasciculum nerveum, quin intime is cohaereat cum maioribus ramis? Num itaque cogitari potest, impressionem miasmatis eam in fasciculis minimis esse, quae nec a sensorio communi nec a gangliis vicem ipsius gerentibus percipiatur? Unde quaeso fasciculis minoribus potentia, impressiones percipiendi, nisi haec ex sensorio communi, ex centro totius systematis redundat? Ob hanc assiduam arctamque consensionem et cohaesionem omnium singulorumque systematis nervosi ramusculorum cum centro et basi, intervallum quod separat infectionem a morbo formali et latebras miasmatis ex hoc fonte derivare nequeo.

9.

Equid autem impedit, quominus lex ista aeterna, quod reactio nempe actionem sequens semper tempus aliquod requirat, quodque vires naturae periodicis mutationibus adstrictae sint, hic applicari possit? Stimulo adacto ad partem irritabilem non ilico sequitur contractio, sed certo tandem temporis spatio praeterlapso. Imo veri perquam simile est, eo longius fore hoc intervallum, quo minus assuetum est

est corpus stimulo huic recipiundo. Variolae et morbilli a corpore humano eiusque oeconomia haud adeo (sit venia verbo) alieni esse videntur, quam lues venerea aut hygrophobia. Lues itaque multo maius requirit temporis intervallum, ut oriantur morbi formalis prima symptomata, quam variolae, morbilli aut scabies. Hygrophobia vero, ob veneni maxime alieni a nostra oeconomia indolem, diutissime fere inter hos morbos latitare potest: septem enim menses fere semper intercurrunt, priusquam virus hygrophobicum reactionem totius systematis producat. In symptomatibus aut passionibus, quae luem veneream praecedere videntur, reactio varium tempus supponit pro varia eorum indole. Quodsi enim sola relaxatio glandularum fecernentium sequitur infectionem, si virus venereum magis involuitur humore glutinoso, pituoso; longius intercedit temporis spatium: eo brevius vero, quo insignior adest partium laesio, quo major excoriatio et destructio oritur. Sed de hac differentia paullo infra amplius loquemur.

10.

Sequitur iam tertia pars morbi contagiosi, quae complectitur materialem humorum alterationem seu miasmatis evolutionem. Haecce mutatio, tanquam sequela reactionis, quam vires solidorum exercent, toto coelo diversa est a mutationibus humorum in

B

aliis

aliis omnibus morbis. In acutis enim quibusdam sequitur reactionem ea humorum mutatio, qua proclives redduntur ad excretionem vel ad assimilationem: in aliis corrumpuntur vario modo: in contagiosis autem specifica semper sequitur mutatio, ut humores mutati adipiscantur naturam et indolem miasmatis, quod infectionem produxit. Ita necessario mihi cohaerere videtur haec miasmatis evolutio cum infectione praegressa, ut absque hac rarissimis tandem casibus contingere possit. Primus quidem, qui variolas, luem veneream aliosque morbos contagiosos experiebatur, miasma hoc in corpore evolutum absque infectione praegressa sine dubio gerebat. Sed postea rarissime obvenit eiusmodi generatio miasmatis contagiosi sine praegressa infectione. Praeter NOËLUM etiam SCHAEFFERUS epidemicam naturam bubonum, blennorrhoeae et carolorum urethrae observavit; fuerintne autem contagiosa haec symptomata, quaeritur. Versus finem saeculi decimi quinti vere *επιδημικως* grassabantur symptomata venerea, et nemo exstat, qui suspicionem de orta lue venerea ex connubio elephantiae cum epidemica constitutione pestilentiali, argumentis luculentis refutare aut removeere possit.

Concedendum praeterea, in quibusdam morbis contagiosis haud adeo constantem esse nexum mutatorum specificae humorum cum antegressa specifica

cifica impressione solidorum, quia eandem impressionem sequi possint variorum miasmaturum evolutiones. Raro omnino tandem hoc continget, sed exstant tamen exempla, observatorum in uno eodemque corpore morbillorum simul et variolarum scarlatinae simul et variolarum, etc. Hae quidem observationes tantum abest, ut cum fermentationis theoria conveniant, ut potius fortissimum fere argumentum suppeditent, quo nostra opinio nititur. Commonstrant vero etiam non penitus eandem miasmatis evolutionem excipere semper et ubique debere eandem praegressam veneni impressionem.

II.

An vero tale quid in lue venerea contingere eodem modo possit ac in aliis morbis contagiosis, nec temere negare nec intempestive affirmare audeo. Nemo forsan observavit ab homine carolis affecto infectionem proficisci, quam morbus scrofulosus aut alius acutus vel chronicus sequatur. Sed quid e contraria parte est, quod ex duobus hominibus cum muliere carolis affecta concumbentibus alter quidem blennorrhoea afficiatur, alter autem carolis? Non nego, in utroque casu virus idem manere: attamen effectus sunt diversi et miasmatis evolutione diverso modo celebratur. Hoc nimirum discrimen complecti videtur potentiam corporis animati diversam suscipiendi virus, receptivitatem va-

riam partium variarum: unde in statu partium infectarum relaxato plerumque blennorrhoea, in statu vero rigido caroli tantum non semper sequuntur.

12.

II. MIASMATIS EVOLUTI INDOLES.

Evolvitur miasma maxime in iis organis, quae primario veneno afficiebantur: reactio organorum irritabilium congestionem, validioremque effluxum producit mutatorum humorum. Recte quidem, ut mihi videtur, clarissimus auctor miasmati huic, ex humoribus parato, nullam tribuit acrimoniam, eam videlicet, quae gustu percipiatur. Blandum ceteroquin arbitratur humorem, nullisque noxiis effectibus stipatum, si ad ceteros humores et ad totam oeconomiam respexeris. Nunquam massam humorum eodem infici posse, sed, si forsan adhibitis remediis ex organo quod ipsum primario generavit, reprimatur, assimilari sine ullo periculo toti massae fluidorum.

Digna haec est sententia, quae accuratius ventiletur, quippe quae haud levioris momenti influxum in methodum curativam habeat. *Blandam* primo pronunciat materiem contagiosam auctor: quae vox si toto suo ambitu hic usurpata fuerit, contagium venereum ab humoribus naturalibus alienum esse negaret

ret ac pernegaret. At certo eum sensum cum blanditie minime coniunxit Ill. REILIUS: videtur enim blanditiem tantum eo respectu veneno venereo tribuere, quo alia venena ore assumpta nullam prodere solent acrimoniam. Num autem ideo his venenis neganda omnis acrimonia, quia gustui sese non manifestat? Num ideo minime acria miasmata, quae, cum involuta sint humoribus animalibus, chemicis experimentis non parent, neque produunt ullum aut aco-rem aut alcalinam substantiam? Nonne id omne acre appellandum, quod stimulat praeter naturam, cuius particulae itaque ex effectu suo sese, tanquam acres manifestant, respectu saltem ad certas tantum corporis partes habito? Virus viperarum gustu acri destituitur, inde vero acrimoniam omnem ipsi denegare haudquaquam auderem, cum effectus eiusdem exhaustae subito irritabilitatis universalis fatis superque stimulantem eius vehementem vim in lucem ponat. — Quid quod ipse pruritus, dolores osteocopi, exulcerationes, teterrimaque caterva horrendorum symptomatum virus venerei acrimoniam et malignitatem insignem luce meridiana clarius exponant?

13.

Reforbetur, ad sententiam illustris auctoris, virus venereum absque ullis noxiis effectibus, massae humorum assimilatur, eoque modo iterum perspiratione

tionem sueta excernitur. Ne ullum adeo symptoma sequi potest repressionem miasmatis venerei in massam humorum, quod ab ipsa eius indole pendeat. Ex hac quidem sententia innumerae eaeque gravioris momenti sequelae patent.

- a. Declaratur inde, cur carolus aut blennorrhoea per plures annos tolerari possunt absque infectione: curationem autem horum affectuum mere topicam esse debere.
- b. Dum ad alias partes transire dicitur miasma, non vere migrat, aut refoebetur, sed denuo fecernitur in partibus alienis, productum non eductum ex massa humorum.
- c. Infectionem ex symptomaticis blennorrhoeis et carolis nullam esse.

14.

Singulatim has sententias inquisituri, primo docemur a clarissimo auctore, impressionem quam miasma venereum in nervorum singulorum fasciculos efficit, permanentem assumi debere, ut excoaratio, exulceratio, congestio permanens explicetur. Certum quidem esse videtur, dum instantanea tantum contingit impressio, eas minime diuturnas sequelas attrahi posse, quippe quae causam materialem permanentem requirunt. Si itaque impressio permanet,
nescio

nescio, quin systema nervosum inde toto suo ambitu afficiatur et irritetur. Imo illustris auctor ipse statuit, succum nervosum posse irritari specifico modo, sicut hepar irritatum gignat bilem prasinam et depravatam. Hac assertionem multo plus omnino conceditur, quam vel ad rem pertinet, vel theoriae ipsi emolumento esse potest. Quam grave enim sibi imposuit auctor onus, dum demonstrationem existentis succi nervosi suscipit! Quam ardua periculosaeque plena alea res est! Arbitror autem, haudquaquam serio illustrem REILIIUM hanc assertionem protulisse, cum irritatum fluidum nerveum subito transitum miasmatis venerei in massam humorum, sed et migrationem eius in secretos humores pretiosissimos et maxime vitales supponat, cum praeterea, si nec hunc transitum verum statueris, acrimoniam tamen quamdam aut stimulandi partes vitales potentiam miasmatis venereo denegare non poteris: quo facto primae assertiones corruunt.

15.

III. TOPICA INDOLES PRODROMARUM PASSIONUM.

Tali modo topica indoles prodromorum luis venereae assumi non posset, quam tamen strenue defendit clarissimus auctor. Ipsa sententia, fluidum nerveum irritari a miasmate, eo collimat, ut transi-
tum

tum universalem in totam oeconomiam corporis ex topicis affectibus indicet. — Sed mittamus irritatum fluidum vitale, ipsamque mere topicam indolem symptomatum venereorum consideremus. Certo quidem respectu strictoque sensu topicus ne ullus esse affectus potest; quia omnes corporis partes cohaerent ac consensu uno conspirant. Neque ulcusculum minimum oriri aut permanere potest, nisi oeconomia tota eo perturbetur, aut saltem systema nervum irriteretur. Alia vero quaestio est, an eadem passio in totum systema transeat, an itaque internis semper remediis tractandi sint topici affectus? — Id quidem certo persuasum habeo, quamdiu miasma evolutum non eam adeptum est acrimoniam aut malignitatem, ut humores vicini inficiantur, universalem quoque infectionem sequi non posse. Malletem symptomata luis prodroma comparare cum abscessibus simplicibus. Quamdiu in his benigna superest suppuration, abscessus in consensum trahere totum systema non potest. Quam primum vero depravatio humorum et loco suppurationis exulceratio sequitur, omnino passio est, quae totum corpus afficiat, et quae depositione tantum ex universa humorum massa consistat. III

16.

Quamdiu blennorrhoea simplex adest, quae neque inveterata est, neque alias partes in consensum trahit, infectio universalis oriri plerumque nequit. Dum
vero

vero caroli simul aut bubones apparent, massam humorum depravari, oeconomiam totius corporis magis pati elucet. His enim phaenomenis destructio solidorum et depravatio humorum producitur. Summi autem momenti hic morbi decursus mihi esse videtur, cum humores revera infici aut saltim migrare miasma, non produci denuo, indigitare videatur. Compertum nobis est, infectionem eo citius sequi, quo citius blennorrhoeam aut carolum bubo excipit. In bubone observamus tumidas partes eas, sub quibus vasa lymphatica decurrunt, eaque ratione tumidas, ut refoerbum ex genitalibus virus receptumque in vasis glandularum commonstrent. Potestne hic vere nova productio veneni venerei assumi?

Quod vero massam sanguinis non inundet venenum syphiliticum, ex eo praeprimis concludit clarissimus auctor, quia sanguis, sudor, semen et alia excrementa hominis infecti contagium non propagant. Speciosum sane argumentum, quod in quibusdam tandem humoribus sedem miasmatis esse commonstrant: unde sequitur organa peculiaris eius secretioni infervere. — Non diffiteor, me in summa rerum et observationum ambiguitate et opposita sibi ipsis natura, nescire quo me vertam. Negandae experientiae plane non sunt, quibus patet, solam lympham aut ex ea formatam pus esse sedem miasmatis: unde refoerberi et ad certa quaedam loca vere migrare virus nihil est, quo impediatur. Lymphae quoque viae haud adeo femo-

femotae sunt a circulo sanguinis, neque ipsum pus nisi ex sanguine humoribusque ipsis inquilinis paratur. Ergo et sanguis et caeteri humores miasmate infici deberent, nisi antipathia quasi ipsis inhaereat contra veneream labem. Tali quidem modo alia quoque venena, immo medicamenta agunt. Haud activa sunt in quosdam humores et in certa quaedam viscera, in alia vero fluida et in alia viscera totam suam saevitiam exercent. Sic agit rubia tinctorum in ossa: sic venena varia animalia in hepar.

17.

Alioquin vero certum est, pleraque phaenomena cum luis venereae ipsius, tum prodroma explicari optime posse, praetervisa migratione, et sola assumpta *secretione succedanea*. Sub hac quidem voce intelligo secretionem fluidi, in parte *b* cuius secretio in parte *a* suppressa erat. Haec autem secretio toties substituitur in parte *b*, quoties *a* et *b* sympathia nervosa cohaerent. Repressa secretionem bilis in hepate secretio eiusdem humoris in cutis superficie, quae arcto modo necitur cum visceribus abdominalibus, sequitur. Tali modo hernia humoralis sequitur blennorrhoeam vel suppressam vel magis irritatam, ob nexum nervosum testiculorum cum membro virili. Fieri plane nequit, migratio retentae materiae blennorrhoeae ex urethra ad testiculos: desunt enim viae, desunt

sunt vasa, quae devehere miasma possint. Vasa re-
sorbentia penis transeunt ad glandulas inguinales et,
recepta materie blennorrhoeica, formant bubonem:
hernia vero humoralis hac ratione oriri nequit. Uni-
ca via, qua per migrationem miasmatis explicari her-
nia humoralis posset, circulus esset universalis: huic
vero obstat et celeritas summa, qua erumpit tumor
testiculorum, qui saepe momento citius apparet, et
argumentorum defectus, quae ad hoc potius quam
ad aliud viscus aut membrum deferri miasma ex oce-
ano humorum cogunt. — Nonne quoque tali ratio-
ne explicari rite potest ophthalmia blennorrhoeam sup-
pressam excipiens, quae eo periculosior est, quo nobi-
lius est membrum hac passione affectum?

Doctrina de metastasibus seu migrationibus hu-
morum depravatorum ex una parte corporis ad aliam
nuperis temporibus multo acuratus ventilata plures
sibi paravit adversarios. Metastases enim plerum-
que ea celeritate oriuntur, eamque identitatem humo-
ris denuo secreti supponunt, ut longam viam per
universum sanguinis circulum assumere nequeamus:
motus autem progressivus humorum in vasis lymphaticis,
quo unice explicari possent plurimae metastases,
experientia et observationibus haud satis confirmatus
esse videtur. Nihil itaque superest, nisi ut ad no-
vam productionem, ad secretionem priori suppressae
substitutam in membro aut viscere sympathiae ope
cum priori nexu refugiamus. Tali itaque ratione
non

non pauca dilucidari posse phaenomena infectionem sequentia mihi persuadeo.

Simul tamen certum habeo, migrationem quamdam omnino concurrere debere, ut infectio universalis oriri ex prodromis possit. Cur enim a quavis blennorrhoea minime producitur lues universalis, sed ea tantum sub conditione, ut pus generetur vel in carolis vel in bubonibus subortis. Suppuratione enim resorptionem insigniter augeri videtur. Quamdiu bubonis indoles ea est, quae suppurationi non prona, discissionem admittat, raro aut nunquam infectio universalis sequitur. Suborta vero suppuratione in bubonibus resorbatio vasorum lymphaticorum excitatur et lues universalis sequitur.

Hinc porro usum reperientium, adstringentium in carolis et blennorrhoea haud plane innocuum aut ubique salutiferum esse credo. Non solum enim irritant majori efficacia, stimulum morbosum valde augent, sed resorptionem puris omnino promovere posse videntur. Caput rei versatur in electione stadiorum morbi. Dum enim carolus initio maximos dolores gignit, dum inflammatio insignis adest, caverem ab usu adstringentium et stimulantium, quae in progressu morbi, dum sensibilitas et irritabilitas partium iam remisit, usui evidenti esse possunt. Saepe quoque accidit, ut stimulo medicaminum extinguere valeamus stimulum morbosum, quo
fa-

facto absque noxa passio topica cessat. Dum vero nostra stimulantia magis adstringant, sequelae haud adeo levioris momenti esse solent. Repressum tali ratione venenum transit ad partes nobiles, ubi periculosa nonnunquam phaenomena excitantur. Experientia docuit GIRTANNERI methodum omnibus momentis haud adeo esse securam ac auctor sibi nobisque persuadere conatur.

18.

IV. CONTAGIOSA SYMPTOMATICORUM ULCERUM INDOLES.

Cum HUNTERO arbitratur illustris auctor ulcera symptomatica, quae in lue venerea oriuntur, miasma contagiosum aut raro aut nunquam continere, infectionem ideoque ex symptomaticis ulceribus sequi non posse. Observationibus hoc demonstrantibus fides omnino deneganda haudquam videtur. Vidimus nuper mulierem veneream, cuius os totum ulceribus venereis oblitum erat, manducantem quotidie cibos, quos infanti porrigebat. Infans autem bene sanus ne vestigium quidem infectionis venereae monstravit. Observavimus homines alios, carolis per totam oris superficiem affectos basia aliis imprimere, fistulas inquinare, quibus tabaci fumus exfugitur: neque alii inde contagio afficiebantur. Clare hinc elucet, in his casibus ulcera venerea infectionem non propagasse.

Quae-

Quaestio autem oritur, num caussa impeditae infectionis in ulcerum natura symptomata, an in receptivitate subiecti inficiendi contenta fuerit. Non negabit illustris auctor millia existere exempla propagatae per ulcera symptomata luis venereae. Quid itaque, si potius ad dispositionis defectum respiciamus in iis subiectis quae tali ratione non inficiuntur, quam ulceribus symptomatis denegemus contagiosam naturam. De nutricibus certa est experientia infantibus lactatis ita communicare contagium per mammas, ut in ore infantum prima appareant vestigia admissi contagii. Imo adsunt observationes scabie venerea affectos aliis quoque prius scabiem ipsam impertire quam alia symptomata luis venereae.

19.

V. CAROLORUM ET BLENNORRHOEAE
DISCRIMEN.

Blennorrhoeam oriri credit illustris auctor, dum miasma venereum partem attingit superficiei quae in statu naturali sebaceum aut glutinosum humorem secernit. Haec opinio, quam cum HUNTERO NISBETUS iam protulit, multum omnino confert ad dilucidanda phaenomena et symptomata blennorrhoeae. COCKBURNIO debemus inventionem sedis blennorrhoeae in glandulis Morgagnianis

nis et in lacunis internis urethrae, praesertim in fossa sic dicta naviculari. Haec quidem loca semper scatent humoribus glutinosis, sebaceis, pituitosis, quibus impressio veneni venerei debilitatur, partes a destructione caventur et multo diuturniores sequelae oriuntur. Hinc blennorrhoea serius multo sequitur infectionem, quam carolus, hinc quoque dolores haud adeo insignes adsunt et universalis lues raro tantum excipit simplicem blennorrhoeam. Mitior stimulus veneni in partibus haud adeo sensibilibus longiorique mora humorum conspicuis effluxum uberiores producet, quo facto amplius involvitur et mitigatur vis venenifera et stimulans: neque prius magis excitatur, quam corruptio humorum et destructio partium solidarum secuta fuerit.

Haec quidem adeo clara videntur, ut obiectio-
num omnium expertia sint. Sed clarissimus auctor praeterea sententiam profert, quae haud ita perspicua mihi videtur, quin illustrioribus adhuc argumentis indigeat. Autumat enim, miasma venereum excitare semper, nulloque ad alias conditiones respectu habito, blennorrhoeam, dum ad partes sinegma secernentes applicatum fuerit. „In hac, inquit, differentia organorum, miasma venereum secernentium, forsitan ratio latet differentiae miasmatis gonorrhoeici et venerei multoties ventilatae.“ Nescio vero, an cuique patebit haec ratio,
tan-

tanquam sufficiens. Obiici autem possunt praesertim sequentia argumenta:

- a. Si differentia tantum organorum causa fuerit discriminis blennorrhoeae et luis ipsius: cur eodem miasmate adhuc praesente, saepius non oriuntur symptomata luis universae ex simplici blennorrhoea? Non video enim, quid impedire possit miasma venereum, quominus et alias partes afficit, si modo differentia organorum blennorrhoeam a lue ipsa discriminat. Nervorum fasciculi femori plane a tota oeconomia, ut iam ante dixi, cogitari nequeunt. Ideoque propagatio miasmatis et in blennorrhoea eodem modo fieri possit, si miasma idem fuerit, totaque differentia tantum in organis versaretur.
- b. Summa adest similitudo catarrhi et blennorrhoeae. Ex catarrho inveterato, si aliae simul accedunt causae, gignitur eodem modo phthisis pulmonalis, quo ex blennorrhoea, si bubonibus stipatur, lues venerea sequitur. Potestne ideo catarrhi cum phthisi pulmonali identitas assumi? Equis ad miasmatis itaque blennorrhoeici et venerei identitatem concludere auderet? — Catarrhus a phthisi pulmonali non sola sede, sed ipsa essentia atque natura differt: licet in ipsam transire et ex eadem, tanquam ex morbo symptoma, oriri possit.
- c.

- c. Sed exempla forsan nihil demonstrare regefferis. Ideoque ad remediorum usum respiciamus. Dum vere venereum credis miasma quod blennorrhoeam producit, antivenerea quoque remedia adhibere debes, quod vero cum nunquam cedat, blennorrhoea aliis momentis differt etiam a lue, ac sola sede miasmatis.

20.

Carolus semper sedem habere in superficie haud secernente, (porosa, ut *Nisbetus* vult) cum anglicis scriptoribus credit clarissimus auctor. Hac distinctione fateor symptomata caroli multum lucis acquirere. Augmentum enim stimuli in superficie fertiliori et irritabiliori, destructio partium et exoriatio vicinorum, facile inde patet. Sincere tamen optarem, hanc theoriam stabilioribus esse munitam et firmatam argumentis. Quominus vero ipsi penitus assentiar, obstant sequentia:

- a. Quenam est superficies organica totius corporis, quae vero sit porosa, nihilque secernat. Scio equidem, MASCAGNIUM nuperis temporibus pororum inorganicorum existentiam defendere: potestne autem aliquis physiologus, sanioribus imbutus principiis a partibus illius stare? Quidquid veteres de poris cutaneis locuti fuerunt, id omne ad orificia organica vasorum excernentium

C

tium

tium iure meritoque reduci potest. Haec orificia excernunt semper in statu naturali materiem perspirabilem, quae excretio quocumque stimulo praeternaturali insigniter augeri debet.

- b. Partium ipsarum indoles, quae carolis obsitae conspiciuntur, prodit non solum secretioni ipsas esse dicatas, sed revera secernere mucum similem illius, qui in partibus blennorrhoeae subiectis separatur. Vulgaris sedes carolorum est corona glandis, frenulum praeputii, praeputium ipsum, immo ipsa glandis superficies. Glandulae balanum obtegentes, a MORGAGNIO primum descriptae, quinque vel sex ordinibus per coronam decurrunt, versus frenulum adhuc duo ordines supersunt*) Haec quidem glandulae sinagma copiosum secernunt, cumque iuxta illas caroli sedem habeant, sequitur, carolorum locum haudquaquam in partibus secretionis expertibus assumi posse.

21.

VI. LUES LARVATA.

Facile assentior clarissimo auctori, dum de larvata indole luis venereae sententiam suam profert, exaggerata esse exempla, quibus vere larvatam per plures annos, neque ullo signo conspicuam, esse luem vene-

*) MORGAGNI adversar. anatom. vol. I. p. 8. vol. IV. p. 20.


veneream evincere conantur. - Ecquid potest absurdius cogitari, quam lues, infectione iuvenili concepta, deinde larvata et latitans penitus in massa humorum ad senectutem usque ubi tota sua saevitie demum erumpat! Satis, fateor, commoda esset theoria pro adolescentibus voluptati deditis, qui ab ephebis inde malum secum, ipsis insciis, gestasse, nobis maluerint persuadere: sed cum ratione sana consistere nequit. *)

Ab alia parte vero negari nequit, adesse quandoque symptomata, aliam plane labem indicantes ac luem veneream, ipsaque genuina symptomata luis, dolores osteocopi, ulcera marginibus callosis, fundo lardaceo, conspicua, ichoremque malignum evomentia per aliquod temporis spatium penitus deficere, ut et optimus medicus diagnosin mali exponere nequeat. Nonne haec phaenomena quae saepius adesse clarissimus auctor fateretur, *luis larvatae* nomen merentur? Quodsi itaque in re ipsa conveniamus, de nominibus superflua erit dimicatio.

*) GIRTANNER über die vener. Krankh. Th. I. S. 299. f.

10/18

Pica



D.
12/10



144
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
SISTENS
MELETEMATA CRITICA IN THEORIAM
ILLUSTRIS REILII
DE
MORBIS VENEREIS.

QUAM
SENSU FACULTATIS ILLUSTRIS
PRO
GRADU DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE
LEGITIME OBTINENDO
DIE XXX. MART. MDCCLXXXIII.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR
IOANNES AUGUSTUS CHEMNITZ
SERVESTA - ANHALTINUS.

HALAE,
LITERIS HELLERIANIS.

